

*Animi Pathemata* adducimus, memores affectibus animi tantam inesse potestatem, ut non solum corpus variè immutare; sed & ipsos spiritus animales vel in motum citare, vel retardare & obnubilare valeant. Quod, ut reliqua sicco pede prætereamus, iram, tristitiam & terrorem efficere patet, undè sæpè abortûs causa emergit, sanguinisque circulus impeditur, quare & ad productionem dolorum post partum promptè (quod pluribus demonstrari posset observationibus) facere valent. Vid. *Rod. à Castro l.c.*

## §. XVI.

Denique *Excreta & Retenta* locum sibi poscunt. Si enim alvus tempore ingravidationis fuerit magis adstricta, nec voto, ceu decet, respondeat, biliosa saburra colligitur, ut indè tum sanguinis turbetur massa, tum flatuum augeatur proventus. Excreta verò nimia, si diarrhœa gravidis & puerperis superveniat, calorem depauperant, simulque uterum ad excretionem stimulant.

## §. XVII.

*Differentiam* dolorum post partum *triplicem* metimur. (1.) *ratione subjecti* seu loci affecti. Ubi vel veros, vel nothos deprehendimus. Veri proinde sunt, qui propriè uterum affigunt, ideoque inferiora magis infestant: Nothi verò, qui exacerbationes suas exferunt in intestina, mesenterium, partesque connexas; adde, quod superiora petant. tensiones circa umbilicum producant, similesque ferè iis sint doloribus, quos patiuntur mulieres in menstruorum difficultate. Vid. *Sennert. Prax. lib. 4.* (2.) *ratione temporis*; alii enim sunt continui, alii recurrentes & recidivantes. Hi ut plurimum à sanguinis crassitie & grumositate ortum ducunt, ut vult prælaudatus *Sennertus l.c.* Cui quoque assentitur *Rod. à Castro loc. cit. Riverius Prax. Med. lib. 15. cap. 23.* dum enim sanguis exitum molitur, crassior factus vasorum tensione dolores parit, qui cessant post excretionem, donec alius eadem tendat egressurus sanguis, præsertim si causa externa vel error diætæ superveniat, qualem observationem

Excell.